18

GEORGII ERNESTI STAHL,

D. ET PROF. PUBL. ORD. h. t. FACULT. DECANI,

PROPEMPTICON INAUGURALE

De

STERILITATE FOEMINARUM PER ÆTATEM.

INter alia, & innumera quidem, admiranda omnipotentiæ divinæ opera, primarium ſanè illud quoque eſt, quod pleraque & quidem præcipuè univerſaliora & ampliora, corpora, eorumque ortus, durationes, progreſſus, & mutuos tranſitus ſ. exitus, certis legibus ponderis menſuræ, præcipuè verò temporis ita adſtrinxerit, & ſecundum ipſas diſtribuerit, ut ubilibet quidem præſentiam & certitudinem evidenter agnoſcere valeamus, licet neque ipſum ordinem, neque ejus rationem ſemper intelligere & perveſtigare queamus.

Immenſum eſſet exemplis hoc confirmare; arduum & operoſum, vel pleraque ſaltem illorum percenſere; totum ſanè cœlum quid aliud quam hoc ipſum loquitur & confirmat? Diei noctisque, hyemis & æſtatis, caloris & frigoris, germinationis herbarum & frondium, florum & fructuum proventus, loquuntur hæc abundè, monſtrantque & confirmant admirandam hanc certitudinem. Ex his omnibus vero, eminet, utique non ſaltem animalium in genere, ſed & hominis ipſius in ſpecie, velut alligatio & adſtrictio ad tempus; ipſa ſanè anima, quantumcunque, in ſe ſpectata ἀπαθὴς exiſtat, ratione tamen organorum ad minimum, quibus, forte ad intellectum quoque, certò tamen ad exequendam voluntatem uti neceſſe habet, quantum non adſtricta eſt tempori! quantum non debet tempori quo ad ipſam freqventiam actuum ſuorum, quibus denique ad habitum, majoremque agilitatem etiam ipſamet manifeſtò neceſſe habere apparet? qvid non debet tempori, pro Energiæ ſuæ poſt multos actus fatiscentis, reſtauratione & veluti nova collectione: imò verò quid non debet paſſivè tempori, in totius hujus energiæ ſucceſſive decremento & amiſſione. Certè, ut ad ſpecialia deſcendamus, cui ignotus eſt tardus ille, & diuturno tempori alligatus, progreſſus formationis, & auctionis, ſeu conſtructionis & exſtructionis corporis; quæ tamen antequam ad

api-

apicem ſuum deducta ſit, non poteſt anima omnes ſuas actiones rectè, nedum commodè, exequi; huic negotio dum magis adhuc vacat, alienior adhuc eſt ab ipsô rationis actu, quod in infantia & pueritia ſatis eluceſcit. Incrementum ipſum corporis, quibus terminis vegetæ continuationis, & denique plenariæ ceſſationis, circumſcribatur, notum eſt: imò quales temporum vicisſitudines natura non modo in his quæ individui conſervationem reſpiciunt ſervare ſolet, ſed & omnino in iſtis actibus, qui ad ſpeciei propagationem pertinent, vix ulli vel leviter admonito, non ſuccurrit: videlicet quod & hoc ipſum negotium temporis menſura ita circumſcribatur, ut non modo certo & ſtato ferè quaſi primò incipiat: ſed etiam ſimiliter plus minus ſtato ceſſet ac velut aboleatur.

Neque hoc tantum in ſtatu ſano ſeu naturali corporis, ſed in ipſo utique præternaturali; adeò ut etiam in morbis, præcipuè periculoſioribus, ſumma & exqviſita ratio, determinatæ temporis menſuræ haberi obſervetur, ſecundum quam hi progredi, alterari & terminari ſoleant. Et hoc quidem maximè, quod non obiter moneo, qvò magis ſalubriter procedunt, & ad finem vitalem, ſanitatemque, reducuntur: cùm contra qvò magis ſine ſtato illo ordine graſſantur, ac velut evagantur, eò magis, imò certisſimè ad deſtructionem, motuum vitalium, & conſequenter Machinæ ipſius univerſæ vergunt atque exeunt.

Generaliſſimè attendendo, deprehenditur tempus illud numero ſeptenario circumſcriptum. Ita enim, ut non niſi notiſſimas hujus rei probationes adducamus, ſatis cognitum eſt, ſeptem menſibus abſolutam eſſe formationem fœtus: nempe efformatas tunc eſſe omnes partes corporis ejus, ut exiſtant: quamvis ut ſubſiſtant & firmius durent, duobus ſequentibus menſibus firmior ſubſtructio ſubjiciatur, antequam in lucem infans emittatur, i. e. variis rebus tenerrimũ corpus facile perturbantibus, exponatur. Pergit indè ad ſeptimum annum; intra quod ſpatium dentes naſcuntur: Septimo verò ipſo rurſus cadere, & novi in eorum locum ſubnaſci, notantur. Bisſeptimo, ſeu deci mo quarto, cum aliqui-

bus aliis, præcipuê vocis in ſexu virili, notabilibus mutationibus, incipit pubertas, ſeu aptitudo, in viris ad generandum in mulieribus ad concipiendum. Quinto & Vigeſimo, cujus medietas reſpondet medietati ſeptem ſeptenariorum, deſinit homo notabiliter in longitudinem ſuccrescere; pergit verò in latitudinem ſeu craſsitiem partium, præprimis vero oſſium increscere ad XLIX. usq; quo tempore præterlapſo magis conſiſtere obſervatur, & proinde dicitur, corpus. Circa idem tempus perit in fœminis concipiendi energia, & incipit ſterilitas ſtata, & velut ipſo hoc ætatis numero, certe termino, circumſcripta. Poſſet inutilis curioſitatis argui, qui præcipuè poſtremum hoc phœnomenum ſollicitè & velut ex profeſſo ſcrutari ſusciperet, neglectis reliquis, imò verò univerſo generali hujus negotii, nempe ſeptenarii temporum, conſideratione; ſed cum hoc ipſum poſtremum phœnomenum, non tam per ſe, & veluti ſtricte ex illa ratione temporis pendere nobis videatur, ſed potius aliud, ab illo tempore magis probabiliter pendens, veluti pro fundamento habeat: præſertim verò jam ſaltem per occaſionem aliquid proloqui, tempus ferat: placuit brevisſimis conceptum noſtrum de re minus adhuc ab aliis penſitata, in medium proferre.

Supponimus videlicet quod ad foetum in utero materno ſuſtentandum, & denique excludendum, non modo capacitas uteri, immenſum quantum, præ ipſius vacui anguſtia, extendenda ſit; ſed ſimul etiam ipſa ſpiſſitudo membranaceæ ejus ſubſtantiæ copioſisſimè augenda, non magis ad continendum, quam denique exprimendum fœtum. Pro nutriendo vero ipſo foetu, & irrigando etiam diffuſiore jam ambitu uteri, nemo non agnoverit opus eſſe majore vaſorum horum quæ aliàs uterum percurrunt expanſione. Undè etiam ſæpè certè, v. g. in uteris animalium bicornibus, tanti vaſorum rami ſpectantur ultimo geſtationis tempore, quorum duo vel tres, ſimul ſumti propemodum æqvare poſſunt totum ambitum integrum talis modi cornu uteri, in eô ſtatu, quo inanis uterus exiſtit. Imò cum etiam jam evacuatus eſt, certè illa ejus ſucceſſiva & ordinata contractio atque reſtitutio,

qua

qua ê tanta diffuſione, tum ſubſtantia ejus, tum vaſa, iterum comprimuntur & extenuantur, non niſi providè ſucceſſivè ita reſtitui valet. E quibus omnibus proindè circumſtantiis diluceſcere poſſe ſperamus quod omnes hi actus, pro extendendo, irrigando, & reſtituendo utero, & ſimul pro alimento fœtui transmittendo, negotium, planè extraordinarii laboris, circa ſtructuram quarundam corporis partium, & directionem humorum prorſus extraordinariam, exiſtat.

Neqve vero quisquam etiam dubitabit, quod univerſus hic apparatus unice propter fœtum ita inſtruatur, & nullo modo in quemcunque uſum fœminæ ipſius prægnantis, nempe corporis ejus proprii, ſuſcipi & inſtitui neceſſe habeat, excepta illa reſtitutione poſt excretum fœtum. Et hæc quidem primo loco ſuppoſita ſunto. Subjungimus ſecundo, quod, quantum ex inſpectione ovorum à maſculo, gallinaceo, non fœcundatorum, liqueat, quod rudimentum illud fibroſum, (carinam ab aliqua ſimilitudine figuræ vocat Malpighius) in talibus ovis non minus præſens ſit, quam in illis, quæ à congreſſu maſculi fœcunda reddita fuerunt: & cum hoc ipſum fibroſum ſtamen primum materiale rudimentum corporis exiſtat, ſiquidem ex eo, magis magisque ex panſo & aucto, in fœcundo ovo partes corporis non ignobiles, velut emergere & expandi, de die in diem conſpiciuntur. Jmò verò, ſi vel maximè hoc ſtamen, quin tota illa ità dicta cicatricula in ovo non præſtò eſſet; ſed demum à maſculo, fœcundo ejus congreſſu contribueretur, juxta viſiones microscopicas LOEWENHOOKII: negari tamen, luculento gallinarum exemplo, nullatenus pòteſt, quod reliqua pars ovi, tunica nempe ejus exterior, albumen, tunica vitellum involens, vitellum ipſum, quin denique cortex durior: & quæ his in viviparorum ovis reſpondent, tunica Chorion, tunica Amnion, Placenta uterina, hæc omnia inquam, uti ab illo: (quodcunque demum ſit:) agente, quod in corpore materno movet & agit, itá formantur, augentur, moventur; ità quod non propter maternum corpus, ſed uni-

cè propter fœtum, fiant, nemini utique dubium eſſe poteſt. Quid, quod denique transſumptio ovuli in uterum non niſi hujus tubarum, & reſpectivè cornuum, directa applicatione ad teſticulum fieri poſſit: [cujus rei ſpecimen, Græfius pulchrè aliquando in ove ſibi viſum, incommodè pro ſitu præternaturali interpretatus eſt:] unde etiam fœminæ haud paucæ, quibus diebus concipiunt, ſenſibilem motum, cum acutiſſimo ſenſu, in alterutra ilium regione percipiunt: hæc inquam univerſa, cum ſane laborioſos, directos, ordinatos, asſiduos, actus & motus requirant; & tamen hæc omnia, non in proprii fœminæ corporis, ſed alienam utilitatem: videntur utique, juſta ſubſumtione & applicatione tantam alacritatem vigoris ad agendum ſupponere, quæ non modò corpori ipſius individui rectè ſuſtentando par ſit: ſedetiam ex abundanti, non parvum concurſum ad alienum corpus præſtare poſſit, & ut ità loqui liceat, etiam velit.

His ita ſuppoſitis, monemus illud attendere, quod jam ante, inter actus circa ſeptenarios annorum quidem contingentes, recenſuimus, nimirum, quod ſub ſeptimo ſeptenario ille actus, quo corpus humanum in ſuo individuo, quoad ſtructuram & texturam in ſolidum augeſcit & ſuſtentatur, impoſterum veluti ceſſare, aut ſanè plurimum remittere ſoleat. Unde etiam eſt, quod homines ſub his annis, jam in genere ad conſolidationem læſionum in partibus ſolidis, plurimum tardiores obſerventur. Jam verò juſta utique ſubſumtio nobis videtur, quod illo tempore, quo pro corpore individui proprio, parvus, imò minimus amplius concurſus viget, ſed tantum qualicunque conſervatione illius, quod hactenus conſtructum eſt, invigilatur: quod, inquam, hoc tempore tanto minùs veriſimile ſit abundantem talem concurſum, pro ejusmodi alio corpore, reſpectu individui certè alieno, ex individui corpore, ejusque jam exoleſcentibus motibus & vigore, illuc impenſum iri. Hanc itaq; rationem eſſe arbitramur, cur fœmina ſub finem ſeptimi ſeptenarii annorum, deſinat concipere; quia

his

his ipſis annis vigor ſtruendi, augendi, conformandi aliquid amplius, etiam in proprio ejus corpore, ita fatiſcit, ut nullum amplius ejus incrementum indè ſenſibiliter percipiatur. Cum vero infans ſit individuum ſeu corpus, ſane alienum; poscat tamen pro ſui ſuſtentatione & efformatione, nõ modo copioſam materiã, ſed etiam ſpecialem ejus directionẽ, & ipſius ſolidæ texturæ Uteri & vaſorum ejus, planè ſpecialem novam & extraordinariã diſpoſitionem, & aſſiduas, determinatas ſatis, vitalium motuum è corpore maternô moderationes: ibi mirum non eſt, ſi in illa rerum propriarum veluti neglectione & ſuſcepta velut αὐταρκεία, motus illi propter alienum, nempe fœtus, corpus, jam tantò magis recuſentur, & tanto magis omne illud negligatur, quicquid immediatè pro uſu fœtus è materno corpore conſtrui & ſtructum ſubminiſtrari debet, nempe partes ovulum in ipſo ovario, etiam antequam fœcundetur, abſolventes. Et hoc univerſum per hoc conſectarium hujus ætatis.

Placuit hæc adducere occaſione Diſſertationis inauguralis de HÆMOPTYSI, ut etiam magis certæ ætatis affectu, quam publicè habebit

DN. GEORGIUS DANIEL COSCHWITIUS,
Chonez. Pomerell.
Medicinæ Candidatus dignisſimus,

De cujus ortu, progreſſu, atq; ſtudiis quædam publicè nota facere, mos laudabilis poſcit. Natus eſt Patre Viro Nobiliſſ. Ampliſſ. & Experientiſſ. DN. GEORGIO DANIELE COSCHWITIO, Scabinatûs Chonecenſis Aſſeſſore, ejusque Urbis & Stolpenſis Diſtrictus, Medico, & Provinciali Phyſico; ſed jam ab ao. 94 beate defuncto: Mater eſt ELISABETHA, Dn. PHILIPPI WRANECKEN, Scabini Chonecenſis filia, Matrona honeſtiſſima. Ab his parentibus, pietate ſumma proviſum eſt, ut filius teneris adhuc annis, tum ad probitatem pietatemque, tum ad honeſta ſtudia, maturè & ſedulò manuduceretur: quem in finem, Præceptores ipſi adjunxerunt domeſticos, primo DN. MARCUM ANTONIUM SCHMIDT,

nunc

nunc Paſtorem in Bayersdorff & Marienwerder optimè merentem, DN. FRIDERICUM REBEN, piè jam fatis functum: DN. ANTONIUM KöNIG, jam Gymnaſii Fürſtenwaldenſis Conrectorem Clarisſimum. Jactis neceſſariis fundamentis in humanioribus literis, Artis Medicæ ſacris filium initiare ſuſcepit Parens, Vir in Arte noſtra verſatisſimus, quod ab anno 1690. usque ad ſuccedentem beatam analyſin, cum induſtria & fide paternâ, executus eſt. Poſt obitum verò ejus, ad Fridericianam noſtram tansmiſſus, Collegiis & Lectionibus publicis privatisq; , æque ac Sectionibus Anatomicis diligentisſimam operam navavit. Audivit vero Excell. DN. HOFFMANNUM P.P. Collegam noſtrum honoratisſimum (tam Phyſica curioſa publicè tractantem, quam duas publicas Sectiones Maſculini, & Fœminini corporis dexterrimè celebrantem, Anatomico-Chirurgicamquoq; Praxin peritiſſime tradentem. E meis Collegiis tum Phyſicum, tum Chymicum, tum duo Zootomica, tum Practicum, diſcurſivum, tum caſuale, aſſiduus Auditor percepit, duabus item Sectionibus publicis, Maſculini corporis, â me perpetratis, non modo aſtitit, ſed ſua etiam operâ adjuvit. Præteritoanno 97. in Patriam digreſſus, Praxi ibidem operam dedit: ſequente verò 98. ad nos reverſus, ſtudiis ſuis ad apicem perducendis, totum ſeſe dedit, ubi etiamCollegium Practicum jam iterum â me habitum rurſus frequentavit. Tandem denique ad ipſam Praxin ſub Divina Benedictione reſpiciens, ad Jura atque Privilegia Publicæ Authoritatis impetranda, Facultatem noſtram modeſta petitione adiit, quæ legitime petenti, nullo modo denegare potuimus, unde præmisſis Examinibus, in quibus profectus optimos affatim probavit. Specimen ultimum in hoc genere, Diſputatione Inaugurali DE HÆMOPTYSI, & quidem Caſu propriæ ſuæ obſervationis, ſub noſtro Præſidio præſtabit. Ad quem actum Omnes Muſarum Patronos, in ſpecie verò SERENISSIMUM HOLSATIÆ DUCEM FRIDERICUM WILHELMUM, Illuſtres COMITES ac BARONES, cæterosque FAUTORES ac CIVES Academiæ, GENEROSOS, NOBILISSIMOS, ac DOCTISSIMOS, officioſime & humaniſſime invitamus P.P. Halis Magdeburgicis d. XVIII. Junii, MDCIC.

(L.S.)